

rante tollentur: „Erunt deinde“, inquit, „corpora gloriosa.“³⁰ Ignobilitas corporum, vt philosophi loquuntur, est ab illa Aristotelica priuatione, propter quam omnia prona sunt ad putredinem et ita ad corruptionem. Econtra nobilia sunt ista corpora, quae sunt exempta mutationibus alterationum et corruptionum, qualia sunt coelestia, solis et stellarum et quidem his comparat vox 5 diuina corpora beata. Significat igitur materiam ablata corruptione adepturam nouas et nobiles conditiones. Ex terrestri enim opaca et ignaua fiat coelestis, lucida et agilis. „Praeterea corpora illa“, inquit, „ornabuntur noua virtute.“³¹ Materia nobilior et immortalis capax erit nobiliorum et meliorum functionum vel operationum. Non erit amplius corpus animale, sed spiritu- 10 ale. Materia prior quidem non redigetur in nihilum, sed non amplius viuet vita physica, sed spirituali, non nutrietur, non generabit sicut nec spiritus, accendetur spiritu viuificante, ita vt functiones omnium potentiarum ardeant Spiritu sancto, perinde vt ex materia cremabili flamma ab igni accenditur. Et haec omnia fient ad exemplar vel archetypum corporis ipsius Filij Dei, cui 15 erimus similes, qui sicut est dominus de coelo, ita est Spiritus viuificans, transfundens in electos tanquam in sua membra sui corporis gloriam et beatitudinem. Haec est concio paulina, quae comprehendit simul corpora sanctorum et ipsius Christi, qui caput est electorum. Quamuis vero Christi corpus longe maiori gloria excellit, tamen inter haec dicit esse similitudinem. Porro 20 inter ea, quae genere differunt, nulla potest cogitari similitudo. Deinde corpus Christi non solum glorificatum, verum etiam exaltatum est. Sedet enim ad dextram Dei ^ahomo Iesus Christus^a in illa arcana luce Dei, aequali potentia regnat cum Patre et vsque ad consummationem ecclesiae opera sui sacerdotij et regni superatis omnibus suis hostibus exercet et tamen nulla interea 25 naturarum fit confusio et corpus vere alicubi est localiter. Etsi vero omnino [13:] regio aliqua est beatorum, vbi non modo Moses, Elias et magnum agmen eorum, qui cum Christo resuscitati et sublati sunt, viuunt et dulcissimo colloquio et aspectu Filij Dei laeti fruuntur, in quam etiam corpora piorum resuscitata transferentur, tamen quae, qualis et vbi illa sit, in coelo empyreo 30 an alibi, nihil opus est quaerere. Concludimus ergo Christum etiam glorificatum et exaltatum verum adhuc corpus cum substantialibus suis proprietatibus retinere et valde probamus regulam D. Lutheri, qui ait: „Tollens proprietates, tollit naturam.“³²

Quia vero etiam de Communicatione Idiomatum quaestio incidit et aliqui 35 harmostae superiores vel maiorum gentium, audent comminisci Communicationem Idiomatum physicam et ex ea deinde nube mirabiles Chimaeras formare, de hac etiam breuem hanc addimus commonefactionem: Naturae duae

^{a-a} Im Druck durch Versalien hervorgehoben.

³⁰ I Kor 15,43.

³¹ Vgl. I Kor 15,43.

³² Im schriftlichen Werk Martin Luthers lässt sich diese Regel nicht verifizieren.